



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste


Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

apparere quomodo ante quartum diem potuerit esse distinctio inter mane & vespere, & series illa dierum, qui Solis circuitu peraguntur. Unde ut hac difficultate se expediret, de die spirituum hoc difficultate se exposuit; ita ut si seu cognitione angelica, illud exposuit; ita ut si ex mane & vespere fit unus dies consuetus, sic ex utraque notitia, matutina & vespertina, unus dies angelicæ cognitionis exurgat. De quo videri potest S. Thomas quæst. 8. de veritate art. 17. ubi duplicem hanc Angelorum cognitionem fuse explicat.

practicum omnino immutabile, quo se & omnes illas perfectiones iudicat necessario debere amari: Ergo necessario cognoscit seipsum, cognitione practica causante amorem, & non solum cognitione merè speculativa, quæ amorem non parit, ut contendit Ferrariensis loco citato. Consequentia patet, Antecedens probatur. Iudicium de aliquo objecto diligendo est tunc immutabile, quando nulla potest esse ratio formandi iudicium oppositum: Sed nulla potest esse ratio ob quam Angelus formet iudicium oppositum iudicio de seipso diligendo: Ergo Angelus se & omnes suas naturales perfectiones comprehendens, format iudicium practicum omnino immutabile de seipso diligendo. Major patet, Minor probatur. Amor proprius non generat Angelo fastidium, sed delectationem; nec impedit, sed iuvat tanquam medium ad alias operationes, maxime verò ad dilectionem Dei: Ergò nulla est ratio ob quam Angelus formare possit iudicium contrarium iudicio de seipso diligendo: siquidem ratio ob quam potest haberi iudicium de suspensione amoris alicuius objecti, aut de illius odio, est quia amor ille generat tedium, aut est impeditivus maioris boni.



DISPUTATIO XI.

De dilectione Angelorum.

Ad quæstionem 60. Divi Thomæ.

Aboluitis his quæ ad intellectum Angeli pertinent: ordo doctrinæ postulat ut ad ea quæ spectant ad voluntatem, naturam posterioriorem intellectui, gradum faciamus. Sed quæ ea quæ in quæstione 59. docet D. Thomas de voluntate Angeli, facilia sunt, & patent ex his quæ de potentia animæ rationalis docentur in Philosophia, hanc quæstionem prætermittimus, ut de dilectione Angeli, quæ est præcipuus voluntatis actus, breviter differamus.

Probatur secundò eadem prima pars, ratione quam insinuat S. Thomas quæst. 16. de malo art. 2. ad 6. ubi ait: *Quantum ad hoc operatio eius (scilicet Angeli) immutabilis est, quod semper intelligit. Et similiter considerandum est circa voluntatem, cuius operatio proportionatur operationi intellectus.* Quibus verbis aperte declarat, quòd sicut intellectus Angeli non potest cessare ab omni actu, ita nec eius voluntas: sicut autem omnis cognitio Angeli, in cognitionem sui, tanquam in primam operationem ab ipsa natura determinatam & procedentem, reducitur; ita & omnis eius volitio naturalis, in amore & dilectione sui fundatur; unde communiter dicitur: amicabilia quæ sunt ad alterum veniunt ex amicabilibus ad seipsum: Ergo amor naturalis quo Angelus seipsum diligit, necessario debet esse continuus & nunquam interruptus, tubindeque necessarius quoad exercitium.

ARTICVLVS VNICVS

De amor, quo Angelus seipsum & Deum naturaliter diligit, si necessarius, non solum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium?

Certum & indubitatum est apud Theologos, Angelum seipsum amare necessario necessitate specificationis: cum ita adigatur ad amorem sui, ut actum contrarium, nempe odium sui, habere nequeat. Unde solum difficultas est, an seipsum & Deum necessario diligit, quoad exercitium? ita ut actum dilectionis naturalis sui & Dei, nunquam possit interrompere, seu ab illo omnino cessare?

Ex his probata manet secunda pars conclusionis. Nam in amore naturali quo Angelus seipsum diligit, includitur amor Dei tanquam auctoris & conservatoris proprii esse; cui consequenter Angelus non potest non velle existentiam, aliasque perfectiones, lumine naturali cognititas: Ergo si seipsum amat necessario quoad exercitium, eadem necessitate Deum ut auctorem & finem naturalem diligit. Unde sicut ex cognitione quæ se & omnes suas naturales perfectiones comprehendit, resultat necessario iudicium practicum omnino immutabile de sui dilectione, ita & ex cognitione quæ Deum ut auctorem & finem naturalem in seipso tanquam in speculo purissimo contempletur, oritur necessario iudicium practicum omnino immutabile, quo iudicat illum esse necessario diligendum, ut magis ex argumentorum solutione patebit.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico breviter, Angelum seipsum, & Deum ut auctorem naturæ, amare necessario, etiam quoad exercitium. Est contra Ferrariensem, contra Gentes cap. 109. quem sequitur Vazquez in commentario art. 3. huius quæstionis: est tamen communior inter Thomistas.

Probatur prima pars ratione fundamentali. Angelus cognoscit & contempletur seipsum necessario, etiam quoad exercitium, ut disputatio præcedenti ostendimus: Ergo eadem necessitate seipsum diligit. Probatur consequentia: tum quia operatio voluntatis proportionatur operationi intellectus, per quam dirigitur & regulatur: tum etiam, quia si Angelus seipsum necessario semper intelligit, vult necessario seipsum amare, quia hoc est sibi velle maximum bonum. Adde quod ex naturali cognitione, quæ Angelus se & omnes suas naturales perfectiones comprehendit, resultat necessario iudicium

Tom. II.

actu dilectionis sui & Dei ut auctoris & finis naturalis

Respondeo: esse semper in actu secundo per identitatem potentiae cum actu, arguere infinitatem simpliciter, non tamen esse semper in actu secundo realiter distincto à potentia seu subiecto operante: Sol enim semper illuminat, & animalia gaudent continuo motu cordis & pulmonum: Cuius ergo similiter Angelus non poterit continuà sui cognitione ac dilectione gaudere: cum cognitio & dilectio sui in Angelis, se habeat sicut motus cordis & pulmonum in animalibus, & sit principium omnium operationum naturalium Angeli, sicut motus cordis est causa omnium motuum vitalium animalis.

Objicies secundo: Voluntas non necessitatur quoad exercitium ad illum actum, in quo potest apprehendi aliqua ratio mali aut minoris boni: Sed Angelus aliquam rationem mali, aut minoris boni, in dilectione sui & Dei ut auctoris naturae apprehendere potest: Ergo nec seipsum, nec Deum ut auctorem naturae diligit necessariò quoad exercitium. Major patet, Minor probatur. Angelus potest apprehendere dilectionem sui, ut impeditivam, ne toto conatu feratur in Deum ut ultimum finem: similiter potest continuam Dei dilectionem apprehendere, ut impeditivam exercitii libertatis circa suspensionem talis actus: Ergo aliquam rationem mali, aut minoris boni Angelus in dilectione sui, & Dei ut Auctoris naturae apprehendere potest.

Respondeo concelsà Majori, negando Minorem. Ad cuius primam probationem, nego Antecedens: cum enim Angelus non se amet nisi ut medium in ordine ad Deum ut finem; & amor mediorum non tollat aut minuat affectum ad finem, sed potius ex affectu ad finem nascatur amor mediorum; repugnat quòd Angelus sui dilectionem apprehendat ut impeditivam ne toto conatu feratur in Deum ut ultimum finem: sicut in supernaturalibus voluntas fertur simul per charitatem in Deum & in proximum, absque eo quod dilectio proximi impediatur vel diminuat amorem Dei.

Ad secundam probationem, nego etiam Antecedens: nam quando aliquis actus versatur circa objectum dignum amore necessario, & cognitum ut tale, non potest exercitium libertatis circa illud apparere bonum, ut patet in amore beatifico: ex eo enim quòd versetur circa Deum dignum amore infinito, & cognitum ut talem, non potest ulla ratio boni honesti, utilis, aut delectabilis in exercitio libertatis circa illum apparere. Unde quia dilectio naturalis Dei in Angelo versatur circa Deum, cognitum naturaliter ut dignum amore necessario, non potest in suspensione illius amoris, & in exercitio libertatis, circa huiusmodi objectum, aliqua ratio boni apparere.

Dices, Solus Deus clarè visus potest necessitare voluntatem quoad exercitium amoris: Sed Angelus non habet naturaliter claram & intuitivam cognitionem Dei ut auctoris naturae, sed tantum abstractivam: Ergo non potest necessitari ad exercitium amoris naturalis erga illum.

Respondeo quòd licet Angelus non habeat naturaliter claram visionem auctoris naturae, habet tamen aliquid illi aequivalens, nempe iudicium invariabile, quo iudicat ipsum esse summum bonum ordinis naturalis, ad quod omnia alia ut ad finem ultimum referuntur, sicut ab

eo procedunt ut à primo principio; ex qua cognitione redditur naturaliter beatus: hoc autem sufficit ut determinetur ad exercitium amoris Dei ut auctoris naturae super omnia; quia & actu possessum ut beatificans, necessitat quoad exercitium amoris sui. Porro Angelum habere illud iudicium invariabile, colligitur ex eo quod cognoscat necessariò seipsum comprehensive: in cognitione enim comprehensiva sui, non potest non involvi invariabilis cognitio Dei ut auctoris & conservatoris proprii esse, ac proinde ut boni sibi convenientis, & necessarii.

Adde quod, quamvis determinatio ad cognitionem & amorem Dei ut auctoris naturae in Angelo non oriretur sufficienter ex parte objecti, procederet tamen ex ipsa natura substantiae immaterialis, naturaliter exigentis habere ab initio totam perfectionem pertinentem simpliciter ad actum primum, requisitum ad actum possit ferreducere modo sibi proprio ad actum secundum: unde cum cognitio & dilectio naturalis sui, & Dei ut auctoris naturae, sit principium omnium operationum naturalium Angeli, & se habeat in Angelis veluti motus cordis in animalibus, vel sicut motus primi mobilis respectu motuum inferiorum, debet ab ipsa natura & substantia Angeli, per modum proprietatis procedere; sicut motus cordis sicut quasi proprietatis à natura animalis, ut docet D. Thomas in opusculo de motu cordis.

Objicies tertio: Dilectio naturalis Dei, cum eius odio est impossibilis: Sed Angelus mali, supplicii aeterni addictus, Deum odio habet & execratur, iuxta illud Psalmi 73. *Superbia corum qui te oderunt ascendit semper*: Ergo illum amore naturali non diligunt.

Confirmatur: Cum Damon per peccatum sit averfus à Deo ut ultimo fine supernaturali, non potest esse conversus in illum ut ultimum finem naturalem; alioquin simul esset conversus & averfus à Deo: Ergo cum per dilectionem naturalem super omnia Angelus in Deum ut ultimum finem naturalem se convertat, implicat quod Angelus malus Deum dilectione naturali super omnia diligat.

Ad objectionem respondeo, Angelos malos Deum odio habere ut iustum iudicem, poenae & supplicia inferentem, non tamen ut bonum universale totius naturae, & auctorem ac conservatorem, proprii esse & perfectionem naturalium, ut colligitur ex D. Thoma hic art. 5. ad 5. ubi ait: *illi qui non vident essentiam eius (scilicet Dei) cognoscunt illum per aliquos particulares effectus, qui interdum eorum voluntati contrariantur; & sic hoc modo dicuntur odio habere Deum, cum tamen inquantum est bonum commune omnium, unumquodque naturaliter diligit plus Deum quam seipsum.*

Ad confirmationem dicendum est, non implicare quod Angelus sit conversus in Deum ut finem naturalem physicè, & simul ab illo averfus moraliter per peccatum: sicut etiam homo peccator in mortali existens, respicit Deum ut summum ultimum finem in ordine naturae, non tamen moraliter. Quomodo autem cum conversione naturali in Deum ut ultimum finem naturalem, stet quòd Angelus possit peccare mortaliter, est iam contra finem naturalem, patet inferens. Nunc breviter dico, quòd licet dilectio Dei naturalis sit veluti proprietatis Angeli, & naturaliter ab ipso

ab eius substantia fluat, sicut motus cordis à natura animalis, ut supra ostensum est; potest tamen ea abuti, illamque vitare ex aliqua mala circumstantia, puta non diligendo Deum tanquam suum finem & beatitudinem naturalem, cum subordinatione necessaria ad eundem, ut auctorem & finem supernaturalem; de quo infra.

Quærit D. Thomas art. 5. hujus quæstionis, utrum Angelus naturali dilectione diligat Deum magis quam seipsum? Et respondet affirmativè, & probat triplici ratione. Prima est: quia quælibet pars naturaliter magis inclinatur in bonum totius, quam in suum; ut patet in manu, quæ naturaliter & absque deliberatione se exponit etiam ad conservationem totius corporis; & in aqua, quæ contra propriam inclinationem ascendit sursum ad vitandum vacuum, toti naturæ inimicum. Et quia ratio imitatur naturam, hujus naturalis inclinationis imitationem invenimus in virtutibus politicis: est enim virtuosus civis, ut se exponat mortis periculo, pro totius republicæ conservatione. Cum ergo Deus sit bonum & finis universi, ac bonum universale totius naturæ, comprehendens omne bonum, sicut totum comprehendit omnes suas partes; & quælibet creatura magis sit Dei, quam pars totius, aut civis republicæ, manifestum est Angelum, & quamlibet creaturam, dilectione naturali magis inclinari in bonum divinum, quam in bonum proprium.

Hanc rationem D. Thomæ conatur enervare Scotus in 3. dist. 27. quæst. 2. dicit enim primò falsum esse illud principium: pars naturaliter diligit totum magis quam seipsam; nec verum esse quod pars se exponat pro conservatione totius; sed quod ipsum totum magis se diligendo quam partes, eas exponit pro conservatione sui; vel etiam partes præcipuè minus præcipuas. Dicitur etiam, quod etiam detur quod pars se exponat pro toto, non sequitur propterea quod magis diligit totum, quam seipsam; quia exponitur pro toto, propter identitatem sui esse cum toto, & non quia formaliter propter conservationem sui esse.

Sed hæc facile dissolvitur: primum quidem, dicendo cum Cajetano, quod si pars seipsam exponat, si se exponat à toto, propter ipsum totum; quia tamen naturaliter exponitur, evidens signum est eam magis inclinari in bonum & conservationem totius, quam in seipsam: quia ut ait Aristoteles 2. physic. textu 78. *Vnum quodque sicut agit naturaliter, sic aptum natum est.*


Alterum verò etiam rejicitur: quia ut rectè observat idem Cajetanus, falsum est quod pars se exponat pro toto, propter unionem aut identitatem quam habet cum illo; cum frequenter se exponat cum periculo perendi unionem aut identitatem quam habet cum toto. Ratio ergo ob quam pars se exponit pro toto, est quia essentialiter est totius, & propter illud: unde cum quælibet creatura magis sit Dei, quam pars totius, rectè infert D. Thomas, Angelum & hominem naturali dilectione magis in bonum divinum, quam in bonum proprium inclinari.

Secunda ratio D. Thomæ est: Si Angelus seipsam naturaliter magis diligeret, quam Deum, naturalis ejus inclinatio esset perversa: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Minor patet: quia si naturalis inclinatio Angeli esset perversa, ejus natura de se esset mala, utpote radix & principium

A um perversæ inclinationis: atque adeò Deus esset auctor mali: vel constituendum esset primum principium malorum: quæ omnia in Manichæis damnata sunt. Sequela Majoris probatur: Perversa est inclinatio quæ tendit ad diligendum magis medium, quam finem: Sed Deus habet rationem finis, quælibet autem creatura rationem medii ad illum ordinati: Ergo si Angelus seipsam naturaliter magis diligeret, quam Deum, naturalis ejus inclinatio esset perversa.

Denique, Si Angelus naturaliter magis seipsam quam Deum diligeret, charitas & gratia non perficerent, sed destruerent ejus naturam: Consequens est falsum: Ergo &c. Sequela Majoris patet: per gratiam enim & charitatem Angelus magis amat Deum, quam seipsam. Minor etiam est certa: sicut enim fides non destruit, sed elevat rationem; ita gratia & charitas non destrunt, sed perficiunt naturam, eamque elevant ad statum altiorum.

Advertendum tamen est, quod licet Angelus naturali dilectione magis Deum quam seipsam amet, dilectione & tamen liberâ & electiva, potest seipsam magis quam Deum diligere. Ratio est, quia Angelus, ex libera voluntatis electione potest peccare, quandoquidem de facto peccavit: omnis autem peccans moraliter, avertitur à Deo, & convertitur ad creaturam, præfertque bonum aliquod creatum bono divino: Ergo Angelus amore libero & electivo potest seipsam magis quam Deum diligere, ac præferre bonum proprium bono divino.



DISPUTATIO XII.

De gratia & gloria Angelorum.

Ad quæstionem 62. D. Thomæ.

HUc usque de Angelis naturaliter consideratis: jam de eorum perfectione supernaturali; gratiæ nimirum & gloriæ, dicendum superest: de qua D. Thomas quæst. 62. Quæ verò de tempore & loco creationis Angelorum quæst. 61. docet, disputatione præcedenti fuere à nobis expolita.

ARTICULUS I.

Utrum Angeli fuerint in sua creatione beati?

DUplex in Angelis, sicut in nobis, distinguitur solet beatitudo: una naturalis, quæ est ultima perfectio ad quam natura angelica potest per vires naturæ pervenire, si ve perfectissima operatio quæ naturaliter potest Angelo convenire, cognitio scilicet & dilectio Dei ut auctoris naturæ: altera supernaturalis, quæ est ultima perfectio naturæ angelicæ, excedens naturalem ipsius facultatem, si ve perfectissima operatio ad quam supernaturaliter elevari potest; & consistit in clara Dei visione, ut dicemus in Tractatu de beatitudine. Inquirimus ergo, an duplex hæc beatitudo Angelis ab initio creationis concessa fuerit?